
† **R. P. Aemilius Rombach (1883-1953)**

(*Prov. Germaniae Sup.*)



Vespere 13 Septembris 1953¹ P. Aemilius Rombach diligentissime, ut eius erat mos, calicem sacrificio Missae sequenti diluculo celebrando praepaverat, certissime gaudens, quod festo Exaltationis S. Crucis, quo die a. 1925 vota emiserat, totalem sui oblationem renovare posset. Hanc vero oblationis confirmationem Deus in caelo accepit. Nam cum non ad meditationem matutinam venisset. Frater in eius cubiculum properans eum mortuum invenit. Circa horam quartam subitanea cordis debilitatio vitae finem intulisse videtur.

P. Rombach subitanea quidem, verum non necopinata morte praeventus est. Valetudinis suae infirmae bene gnarus, brevi ante Rectori dixerat: « Ad

(1) *Klemens-Blätter*, Nov.-Dez. 1953, p. 168; ibi paginae 163-168 totae agunt de hoc casu.

omnia paratus sum et semper me cinctum teneo ». Longa et accurata praeparatio mortis erat religiosissima vita Liguoriana.

Natus die 31 Ianuarii a. 1883 in vico Schonach, archidioeceseos Friburgensis, et ordinatus die 6 Iulii 1909, tamquam parochus loci Brenden in summa Silva Nigra siti optime regno Dei adlaboravit, adeo ut etiam post triginta annos fideles pristinum pastorem grato animo recordarentur. Missio, quam Redemptoristae in paroecia habebant, consilium se Congregationi associandi maturavit. Postquam Archiepiscopo suo annuente a. 1924 in Gars noviciatum ingressus est, sequenti anno vota emisit et opus missionale, quod participare ardentem desideraverat, fortiter incepit, in quo magis exemplo viri Dei quam insigni sermonis eloquentia eminebat. Sed etiam senex, impotens qui ad missiones exiret, domi vegeto animo missionibus confratrum intererat. Paucis adhuc diebus ante mortem attentione, quae ceteros admiratione afficiebat, auscultabat confratres de conventu missionali Francoforti habito nuntiantes.

Vitae religiosae tam familiaris erat, ut Superiores per octo annos ei munus Magistri crederent. Hilaris, silentii amans, fidelis usque ad minutissima, sed minime illiberalis, omni die diei opus explebat. Senex 70 annorum primus fuit, qui novum iuvenem Rectorem adiret, rationem de suo agendi modo redditurus et benedictionem petiturus pro parvis permissionibus, quibus pro infirmitate sua indigebat. Cella, in qua mortuus est, tam pauper erat, ut Superior vere nihil invenerit, quod proximis tamquam reculam memorialem dare potuisset. Praeter breviarium, cuius recitationem non modo solvebat, sed probe colebat, nihil sane reliquit. Deus, qui fideles suos nunquam fallit, ei retribuit secundum promissum: *Vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis* (Matth. 19, 29).

Secundum *Briefe an unsere Freunde. Mitteilungen aus dem Leben und Wirken der süddeutschen Redemptoristen*. 3. Jg. N. 6, p. 58.